

stus & scelerum vindex severus, qui non justificat impium, aut peccata ipsi remittit, nisi per Christum mediatorem: unde credere in eum, qui justificat impium, nemo potest, nisi credat Deum esse per Christum mediatorem placatum, in quò Christo ipse plena acquiescentia nititur, eique insistit, quod fiducia nomine indicare alibi scripturam dictum jam est. Et respectu hujus Fidei dicitur *fides apprehendere Christum mediatorem Job. I. 20. Col. II. 6.* ejusque satisfactionem, eaque tanquam *ἀντὶ* pro peccatis nostris sufficientissimo Deo Patri exhibita, abolere offensam peccatorum & gratiam ac remissionem peccatorum apud Deum impetrare. Fides enim animus fertur in Christum mediatorem, tanquam in suum bonum, & aliorum sibi obtinendorum bonorum causam, ita ut in ipso, qua aliorum impetrandorum bonorum autore & causa firmiter recumbat, de iis per ipsum impetrandis securus, quod utique est manu quasi Christum apprehendere, & ne elabi aut ullis adversitatibus eripi possit, quasi conclusum tenere. Quod si ex moralibus licet id quod dictum est illustrare, non male Doctrinam de Proximi uti, eam in rem, poterimus. Quemadmodum enim constituto fine deliberatur de mediis, quibus finis ille obtineri potest, donec ad primam causam perventum est, hoc est ad primum medium, aut adjumentum ex quò reliqua fini propinquiora pendent: hoc vero primum medium absolutam deliberatione appetitus rationalis persequitur, & ita pergit, donec ad ipsum finem perveniat: ita peccator, constitutum habet hunc finem, ut offensam apud Deum per peccata contractam oboleat, hunc finem ut obtineat notitia fidei de mediis in verbo Dei revelatis dispicit, cumque invenerit medium satisfaciendi Deo, pro omnium hominum peccatis, eorumque offensam abolendi esse satisfactionem Christi, hanc sibi quoque prodesse ad finem suum saluari as-  
sen.